O R E T O

Ob redditam sibi sedem Regiam felici gratulatio, et faustum omen quum Siciliam praesens moderetur

FERDINANDUS III.

AUGUSTUS, PIUS, BENEFICUS,
UTRIUSQ: SICILIÆ REX

IN VETUSTA REGUM, CAESARUMQUE SEDE PANORMO PRINCIPE REGNI SICILIAE, TOTIUSQUE SUAE DITIONIS URBE;

ELEGIA

Quantis Trinacriae tollet se gloria rebus!
Quam tolles altum pulcher Orete caput!

Regia te sedes, te principis urbis honorat
Regius auctus honos, te vetus ornat honos:

Firmat Rex quod habes, ablatum tempore reddit,
Quo te plus decoret jungit utrumque decus,

Parthenopemque diu tua regia sceptra gerentem
Ut quondam, justa nunc dicione tenes.

Major honore senex regni, conspectior annis
FERNANDI augustus principis auspiciis

Fratrem commixtis turbatum hostilibus undis
Regi Sebetum restituis placidum;

Externis tumidum lymphis, cultosque ruentem
    Vastaturum agros aggeribus cohibes.

Ripas inque suas illi, finesque reducto
    Quod fas edicis, quodque nefas fieri.

Auris ipse tuae gratis dum vescitur urbis
    Est quae jucundis unica deliciis.

Rege licet Siculis aequo, mentisque benignae,
    Omnibus et coleres tu licet officiis;

Quae mala Rege bonô, procul hac tamen urbe remoto,
    Te pius in Regem ferre coegit amor!

Quasque tibi vinclis natura revinxit amicis
    Gentes, alternam quaeque ut opem capiat;

Suntque tibi sed contra odiis immanibus hostes
    Impulsae coecis invidiae stimulis;

Conatis tantisque diu furialibus ausae
    Frustra auferre tuis Regia serta comis;

Tabescant rabie, rabie praecordia rumpant,
    Morsibus et lacerent brachia vipereis.

Torvis frustra oculis vertique, regique videbunt
    Principe te regni duplicis imperium.

Volvere neve juvet liventia lumina retró;
Ne qua praefulges gloria discruciet.

Invitis oculos illis percellet, et uret
Qui tibi tam late splendet ab ore nitor.

Ipsaque Roma tuo, fieri quod posse negares,
Roma caput rerum subditur imperio;

Jura dabat populis quae collibus ardua septem
Omnibus injectis imperiosa jugis;

Roma tot exhaustis bellis, ducibusque subactis,
Roma tot excisis arcibus indomitis;

Denique tot lauris, tantisque superba triumphis
Prona tibi paret, teque colit dominum.

En quo FERNANDI Regis victricibus armis,
Pulcher honoratum tollis Orete caput!

Quid non audendum tanto sub principe magni!
Ille tibi fortes ducet in arma viros.

Fortunate tuam quae lux splendoribus urbem
Implet, quam magnum nunc decus assequeris!

Gens quaecumque tuum ducit memorabile nomen,
Laetaque concelebrat teque, tuamque fidem.

Assurgis quantum! caput altis nubibus infers,
FERNANDI tantum tolleris auspiciis

Te praesens exornat, alit, fovet, excolit, auget;
Instar namque almi Rex tibi solis erit.

Rex tibi dat saevis tutum praedonibus aequor,
Africa vel metuet te, vel amica colet.

Ausoniae pars magna tuo concedet honori,
Pars victore tibi munera Rege feret.

Oppletaeque tuis excedent mercibus oris
Innumerae puppes aequora ut alta secent.

Undis inque tuum pulsae, ventisque secundis
Immensas gremium divitias referent.

Alma Ceres agros fulvis onerabit aristis,
Ingentique premet pondere Bacchus humum.

Tergemino Pallas foetu pallescet olivae,
Curvabunt ramos pomaque floriferos.

Artes ut saeclis olim nituere vetustis,
Nunc FERNANDUS adest, Palladiae redeunt;

Exemplum illarum Siculum quum gentibus esset
Praeclarum cultis omnibus ingenium;